

tendum est in spiritum, & postea fiet aqua clara sine omni turbulentia ab inferiori parte vsq; ad superiorem, & omnes particulae suae sunt diuersae in aqua, vt nō impediatur tinctura quae est penetratiua & subiunctiua ad retinenda & contingenda omnia corpora metallorum; & ista tinctura semper in eis permanet: & cum hac tinctura viuificantur omnes mortui vt semper uiuant, & hoc est fermentum primum elementatum, & est ad Lunam, & hoc est lumen omnium luminum, & est flos & fructus omnium luminum, quod illuminat omnia, & est tinctura vera & viua, rubea & alba, ac oleum tincturarum rectificatum. Da ergo ei secundum fermentum fermentatum ab omni elemento elementato aequaliter, quod est aurū, da ei quartam partem, quod ramentum prius calcinatū sit, & in aquam solutum. Hæc est enim aqua elementata aequaliter ab omnib; elementis. Da etiam ei secundum fermentum, cum secundū dico, assero secundū retinaculū, & in eo est tinctura sulphurea, & dicitur oleum retinaculorū, hoc est, vitriolum viridissimum & purgatissimum, lucidissimum, quod versum sit in aquam. Da etiam ei aquam Saffranicam de endaeuto factā, vt aquam viridis æris, quae est venenum Mercurij, & da Mercurio de aqua laborata in suum spiritum, quam extraxisti de corpore suo, & ita mortificasti eum, & ista laborata scilicet aqua argenti viui, ita vt versum sit argentum viuum in aquam, quod impetuosum ignē non fugiat, vt substantiā nō faciat, sed semper per vim maneat, & de vnoquoque istorum da ei tantū quantum ipsum est & da etiam ei sal armoniacum, qui est spiritus preciosus, & est resolutius & coagulatiuus, & versum in aquā, prius tamen sublimatum quinque vel septem vicibus, & sit duplum primi fermenti. Da ergo ei aquā siccam & calidam & iugem cum fortificatione, & subtili imbibitione scilicet guttā ad guttam, & si dares ei minus de istis bibimentis, confundetur. Et hoc fac ad Solem calidum vel ad cinerem lenti caloris, vel hæc omnia si possunt fieri: & omnes istae aquae prius misceantur per 21. dies in loco mundissimo & calido, & bulliant simul & faciant vnam substantiā. Deinde congeletur in lapidem: & iterum vertatur in aquam.